DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-ſextâ Martii, anni M. DCC. LXXXIV.

M. MAXIMILIANO-JOSEPHO LEYS, Doctore Medico, Præſide.

An ſolito frequentiùs hepatis abceſſus aperiendi.

I.

MISERA hominis, qualemcunque vitæ curſum ſortiturus ſit, conditio. Vix enim auras vitales hauſit, cùm coactis undequàque circumcingitur incommodis. Hìnc, innata labes, arte raró ſuperabilis, quâ infirmioris ætatulæ hujus torquentur membra tenellulla; illinc domeſtica incuria, hîc præpoſtera matris ſollicitudo, illic variæ tempeſtatum viciſſitudines, undè tot ac tantæ in hanc compagem delicatulam coeunt calamitates.

Quod, ſi quis varias hominis ætates lubet percurrere, variaſque penitùs ſcrutari conditiones, nulla obverſabitur cui non adhæreat multiplex morborum cohors. Quid ergò mirum, ſi tam frequenter exclamant homines, *Naſci-ne erat tanti?* Habes profectò, habes, ô dilecta Societas, undè ſuaviſſimo illecebrarum tuarum conſortio hominem demulceas; miſerabilis tamen homo, cui tua tanti conſtant lenocinia. Ne autem ab inſtituto aberrare videar, ad ſcopum revertor. Varium ac diverſum morborum genus: undè fit ut, pro variis, in quas impingunt, partibus, proque diverſis, quibus ſtipantur ſymptomatibus, varia ac diverſa nomina acceperint. Si ergò in vaſorum extremis, cujuſcunque modi ſit obicis hujus cauſa, impeditur liber ſanguinis tranſitus, quâ ſublatâ commeandi facultate innaſcatur ingurgitatio, caloreque exorto, creſcat motus circulatorius, pro certo habe veram tunc adeſſe inflammationem: quæ quidem varios, prout variè intenditur, recipit medendi modos, varioſque habet exitus. Modò enim fit blanda, & quam præ cœteris concupiſcas, reſolutio; modò diſrumpuntur fibrillæ, ſimulque cum effuſis humoribus abeunt ſolutæ in homogeneum album ſpiſſumque ac tenax liquamen, quod pus nuncupatur, undè brevi efformatur abceſſus; imò intercidit ſcirrus, nullâ ope domabilis, demùmque, ſuffocatâ partis vitâ, ſæpè ſæpiùs lethalis irruit gangrena, nec-non & ſphacelus.

I I.

UT magnitudine, ità & præſtantiâ, cœteris abdominis viſceribus præcellit jecur. Quæ quanquàm multa ſint, nullum propè offendas quod illi vectigal neget perſolvere, nullum ferè cujus non inſerviat labor latici huic præparando, qui, ſtupendo mechaniſmo, in hepate ſecernendus, in bilem mirificè convertitur; ſed heu! quò excellentiori fungitur functione, eò ad morbos quoſcunque, præ cœteriſque ad abſceſſus, ut plurimùm, magis obnoxium videtur. Quos ut Medicus planiùs dignoſcat, rem organi hujus anatomicam paucis præmittendam duco: quæ porrò ſic ſe habet.

Nullam propè figuram æmulatur hepar: rubri nigrefcentis coloris, friabili & quafi arenosâ contextum fubftantiâ, in toto hyppochondrio dextro fedem habet, adeò tamen ut latè ad finiftrum ufquè extendatur. A diaphragmatis centro, cui pluribus fuprà adjacet tenaciter ligamentis, ad ufque coftarum limbum, quem, ad inftar orbis, uno plùs minùs-ve pollice excedit, infrà extenditur. Hujus levigata facies externa, totaque gibbofa, fufpenforio ligamento dividitur: interna fuperficies contrà, cavá æquè ac finuofa, in binos, longitudinali fulco lobos finditur, quorum dexter, ad quem pertinet fpigelii lobus, major dicitur; finifter autem minor vocatur. Haud procul à fciffuræ extremitate, prioris margini lobi fubjacet, pyri formam referens, fellis veficula, cujus bafis, cartilaginis primæ fpuriæ coftæ extremitatem in profpectu habet, undè obliquo tramite duodenum appellit. Organum illud, fenfibilitate quafi orbatum, à cœliacâ nutritioni tantùm fuæ dicatas excipit arterias, fimulque à cavâ venas, nervos autem à majori minorique fympathico mutuatur. Imò verò vena portarum, emulgentibus tantùm ferè exceptis, ex cunctis abdominalibus venis, in unum tubum coeuntibus, efformata, circà medium cavæ fuperficiei, quemadmodum & arteria, adfcitâ, quam Gliffonii capfulam dicunt, vaginâ robuftior, hepar ingreditur. Statim autem, exutâ venæ naturâ, in quinque ramos abit, moxque in minimos & innumerabiles propè difperfa, totum hepatis punctum ferè attingit. Quibus ex propaginibus totidem exfurgunt pori, qui, fensìm coalefcentes, in unum definunt ductum: quo ductu, unàque veficulæ fellis congenere unicus efficitur canalis, quem coledochum dicunt. Hujus beneficio utraque bilis, alia jugi, alia interrupto fluxu, in duodenum manat. Ex iis de hepate perangustè præmiffis evolvit fefe jam nitidiùs frequentis adeò in ipfo vifcere obftructionis caufa, patetque lucidiùs morborum fedes, quorum tanti eft momenti cognitio; fivè in diagnofi, fivè in abceffuûm curatione, de quibus nunc agendum.

III.

SI, vigente inflammatione, vaforum extremitatibus impactæ adeò hærent obftruentes moleculæ, ut diluenti, quò diffolvi queunt, vehiculo aditus intercludatur, perque partis obftructæ refiftentiam magis ac magis à tergo urget fanguis, tùm in majores anguftias protruditur obftruens illud infuperabile: quod cùm retropelli nequeat, fupereft naturæ hoc molimen falutare, quo quidquid vitali humorum motui poteft nocere à partibus fanis fuppuratione dimoveatur. Hinc abceffum rectè definias, inflammationis tranfitum in fuppurationem & puris indè nati collectionem in quodam loco corporis.

Nulla porrò fubeft inflammationis caufa quam & vindicare fibi non jure poffit abceffus, adeòque quidquid vafa, ad jecur appellentia, arctare valet aut obturare, quidquid humorum ipfi pertinentium diathefim poteft pervertere, id omne inflammationi procreandæ aptum & idoneum. Cujus omnes caufas fi velis percurrere, infinitus propè fis. Quas inter primò recenfeas oportet, contufiones, commotiones, vulnera, tumores, acria ingefta., calorem nimium, frigus afperrimum, motum citatiorem; his adde bilis glutinofitatem, & ejufdem frequentiorem acrimoniam: adde menftruarum, hemorrhoidalifque fluxûs aut ulceris fuppreffionem intempeftivam, partis quoque ferofæ fufflaminationem; quid multa, virus quodlibet.

Quibufnam autem fymptomatibus in hepate deprehendatur abceffûs præfentia perluftrare operæ pretium eft. Si à primâ inflammationis invafione ad quintum ufque, fextumve aut feptimum diem ità urgent fymptomata ut abfque ullâ fenfibili excretione, vel materiæ morbofæ metaftafi, nullum offendatur levamen, tunc magnoperè metuendum puta, ne in fuppurationem vergat inflammatio. Ubi verò definat refolutionis poffibilitas incipiatque fuppuratio apprimè dignofcere opinione operofiùs eft. Palam eft tamen & experientiâ compertum, quod omnes

fatentur, adaugeri, tempore ſuppurationis, calorem, irritari dolorem, febremque creſcere, ac pariter pulſationem : quæ omnia formato pure miteſcunt. Tum ſubit quidam ponderis ſenſus, ſubit horripilatio vaga, quam ſequuntur rigor diuturnior, ardens ſitis, febricula, quâ, præſertim circà veſperum recrudeſcente, laborat æger: debilis eſt pulſus, urina ſpumoſa, debilitatæ palleſcunt partes, manantque, præſertim circà frontem, nocturni ſudores, tandemque fixus adeſt dolor pulſatorius. Si verò externè promineat tumor, percipi tunc poteſt fluctuatio, nec rarò ſimul ſeroſâ colluvie irrigantur partes ambientes.

His omnibus ſedulò perpenſis, nullum jam de puris collectione, nullum de abſolutâ illius eliminandi neceſſitate, dubium poteſt remanere. Ne tamen graviter peccetur, id agat accuratè Medicus, ut ſibi planè innoteſcat, quid veſiculæ fellis tumorem inter & abceſſum, qui circum circà efformatur, interſit. Id autem diſcriminis eſt, quod in abſceſſu dolor adſit pulſatorius, qui in tumore veſiculæ nullus, quippè qui nullis ſuppurationis ſymptomatibus urgetur; quodque in tumoris centro tantùm, remanente adhuc duro ambitu reliquo, percipiatur fluctuatio; quæ contrà in fellis veſiculæ tumore liberiùs utrobique exporrecta ſtatim deprehenditur.

I V.

TAM denſâ involvuntur caligine quæcumque de hepatis abceſſibus ſcripſerunt Veteres, ità parcè diſſeminantur eorum obſervationes, ut nihil propè ex illis colligi poſſit, cujus ope, ſeu in præſagiendis, ſeu in curandis iis, de quibus nunc agimus morbis, titubans dirigatur Medicus. Ea enim erat eorum circà jecur propè inſcitia, ut veram illius ſtructuram non apprimè calluerint. Hinc illud, alii inſtar gelati ſanguinis depingebant, adeòque in putredinem pronum, undè in omnibus ferè abceſſibus ſiniſtrum quid ominari ſemper non dubitarent; alii, quos inter princeps Hippocrates, omnes, quibus propria hepatis corripiebatur ſubſtantia, abceſſus lethales judicabant. Quod ex hoc aphoriſmo in promptu eſt colligere. *Qui ſuppurato hepate uruntur aut ſecantur, ſi pus purum & album fluat, evadunt: ipſis* (a) *in tunicâ enim pus ineſt; ſi verò qualis amurca fluat, pereunt.* Ut ut ſit, non minùs conſtat ex peractis, nullâ præconceptâ opinione, obſervationibus clariſſimorum *Morand*, *Delamotte* & *Petit*, ægrum, etiamſi in proprio hepatis parenchymate pus inhæreat, non multo negotio ſanitatem recipere, modò tamen pus illud extrà promineat, coquenteſque vires debellandæ materiei non ſint impares, ac tempore opportuno puri concilietur aditus: quod ipſa probat experientia recens. Viget apud Indos hoc morbi genus, & ità graſſatur, ut morbum illum non immeritò endemicum dicas. Cui ut pro arte ſuâ mederetur vir clariſſimus *Bourdier* (b) idemque Patronus beneficus, operationem, quibuſcunque priùs ritè adhibitis cautionibus, inſtituendam ſagaciter exiſtimavit. Quâ feliciter adeò uſus eſt, ut, ex triginta hepatis abceſſu laborantibus, vix quinque malo ſuccubuerint. Atqui ſciebat obſervator ille accuratiſſimus, eos abceſſûs eſſe progreſſus, ut jecur totum depaſci poſſit; notum ipſi quoque, poſſe materiam per metaſtaſim ad alia loca deferri, interdùmque, per coledochum ductum, aut, aperto colo, in inteſtina commeare; pus autem, loco clauſo eodemque calido contentum, tenuiùs ſimul & acriùs amurcoſum-ve fieri ac quotidiè degeneraſcens in pejùs mutari, veniſque reſorptum, purulentam efficere cacochimiam, plus tandem minùs-ve ſinuoſas quandoque ſibi vias parare, niſi illi citò ſatis præbeatur exitus. Cum autem ſibi compertum haberet quàm ſit periculoſum locum ſuppuratum antè perfectam maturitatem aperire, eam, ubi tota reſolutionis ſpes deerat, maturantibus ſollicitabat remediis. Cùm verò, ſingulis morbi phænomenis accuratè perpenſis, de abceſſûs præſentiâ certior factus fuerat, obſervatoque quod vicinis accreſcat pars inflammata, ad operationem, tanquàm ad unam quæ ſupererat ancheram, audax confugiebat. Tunc præſtò aderat Chirurgus, qui in tumorem ubicunque pro-

(*a*) *Nota benè.* (*b*) Vide *Journal de Médecine*, anno 1772.

mineret, ſcapellum ſecurâ manu altè infigebat, parteſque ſecundùm coſtarum rectitudinem latè ſecabat; cujus operationis ope eliminabatur pus, ſtatimque linamentum deterſivâ terebenthinæ, oleique ac vitelli mixturâ imbutum, filoque extra cohibitum, in abceſſûs focum molliter immittebat, & utrobique ſparſo linamento carpto, ſpleniis ſupra impoſitis, totum aptis faſciis continebat apparatum. Si autem non promineret tumor, altiùs immittebatur ſcalpellum ubi, morbo decurrente, fixus adhæſerat dolor. Quæ quidem res ſucceſſit frequentiſſimè. Indè concludas velim, meliùs eſſe, in quolibet caſu, anceps experiri remedium quàm nullum, paucoſque occurrere abceſſus in quibus puri exitum præbere non ſit neceſſarium.

V.

ITA hominum plerorumque animo antecepta moleſtè exuuntur ut, niſi rem ipſi obſervaverint, tibi fidem faſtidiosè denegent. Ea eſt horum, quæ aliquot ab hinc annis in vulgus emanant, remediorum ſors, ut, vix in ſcænam medicam proferuntur, innumeris undequaque telis appetantur. Quidquid tamen contra hunc, quem propoſuimus medendi modum, poſſis opponere, non minùs pro certo manet nullam in curandis hepatis abceſſibus methodum exiſtere certiorem, quàm operationem. Sivè ergò in coſtarum intervallis ii promineant, ſive ad pectoris cavum dirigantur, ſeu anteriorem lateralemve occupent partem, aude, aude, ſito commodè ægro, manu ſalutiferâ altè ſcalpellum immittere. Neu fiſtulis anſam præbeas, parcus ſis, cave. Si quis autem, nullos ex iis, quorum proprium hepatis parenchyma correptum fuit, ſanitatem recuperaſſe velit contendere, virorum ſupra laudatorum evolvat opera; nec diù anceps permanebit. Adeat aperturas jam toties repetitas cadeverum, in quibus antiquæ cicatricis veſtigia lucidè apparuerunt. Quid, ubi tam altè hæret pus, ut nec extra promineat, nec vicinis accreverit inflammata, faciendum petis? Hoc reſponſum habe. Si ab ipſo morbi initio nulla extiterit doloris pulſatorii divagatio, aliundèque latentis abceſſûs adſint ſigna, quis tunc tuus erit ſuccurrendi modus? Quæ tibi ſalutis ſpes? Naturæ, credo, credes. Quid tunc timendum, ex dictis tenes. Unicum ergò, dubium quidem & anceps remedium, operatio nempè, niſi quæ adſint contrariæ indicationes. Abdomen mantili comprime, ita ut vicinis applicetur hepar; & ubi ſuam fixit ſedem dolor, immiſſo ſcapello, vomicam attinge: foras tunc proſiliet pus. Si quid verò, operatione factâ, puris in ventrem manaverit, vaſorum beneficio reſorberi poterit, quin magna pariat incommoda. Quæ, ſi adſint, erunt certè minora quâm ſi tota in abdomine diſrupta fuiſſet vomica.

Ergò ſolito frequentiùs hepatis abceſſus aperiendi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes COLOMBIER, *Cenſor Regius.*

M. Joan. Car.-DESESSARTZ, *Antiquus Decanus Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor deſignatus pro anno 1785-6, Regii Medicorum Collegii Lugdunenſis Socius.*

M. Lud.-Alexander DE CEZAN.

M. Joannes-Bap. LANGLOIS, *Scholarum Profeſſor.*

M. Henricus RAIMOND, *Regis exercituum in Inſulâ Corſicâ Medicus.*

M. Antonius-Joannes Baptiſta-Maclovius GUENET.

M. Joannes-Nicolaus MILLIN DE LA COURVAULT.

M. Petrus-Abrahamus PAJON DE MONCETS, *Eques, in Supremâ Monetarum Curiâ, necnon in Urbis præfecturâ Conſiliarius Medicus Regis ordinarius, Academiæ Regiæ Catalaunenſis, necnon Societatis Regiæ rei Agrariæ Aurelianenſis Socius, Scholarum Profeſſor deſignatus.*

M. Jacobus GOURLEZ DE LA MOTTE.

Proponebat Pariſiis JOSEP.-FRANCISCUS BOURDIER DE LA MOULIERE, Bellicinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeôs Auctor. A. R. S. H. 1784. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1784.